

Bibliothèque numérique

medic@

**Bourdier de Lamoulière,
Joseph-François - candidat / Pujo,
Pierre - président. - An in venae
sectione re verâ sanguinis adsit
dimotio ?**

1781.

**Paris : Typis Quillau
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°85**




Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0085

COLENDISSIMO PATRUO,
 BENEFICENTISSIMO DILECTISSIMOQUE
 FRANCISCO BOURDIER,
 REGIS IN INDIS MEDICO PRIMARIO.



*C*ui potius ego opusculum illud, quaecumque sit, amem consecrare, quam tibi, patre dilectissime, quem & tuâ in me singulari benevolentia charissimum, & miro virtutum complexu commendatissimum, colo ac veneror. Quibus enim sub felicioribus auspiciis cursum illum, quem promoventibus beneficiis tuis confecturus sum, possim incohare? Sine ergo me, Patre benignissime, hanc tibi thesim dedicare, quæ, & mea in te gratitudinis monumentum sit, & studii argumentum.



Felicem me, si, quod tibi persolvere vectigal ardebat animus bene memor, id benigno vultu excipias! Felicior me, si vestigiis tuis aliquandò possim insistere, laborum tuorum egregius æmulator! Quanto cum voluptatis sensu, prædicarem tuum illum in rebus adversis immotum animum ac præsertim, quod summum certè decus, amorem illum, tum in regem, tum in patriam, ubique invidiissimum. Ne verò parùm verecundus videar, nihil dicam de variis tum in praxi Medica, tum in re Herbariâ, Historiâque naturali, Observationibus tuis, quibus profectò benè & egregiè de patriâ meritus es.

Nunc tibi sereni fluant dies, dum meo in te studio amoreque in æternum permansuro, tibi comprobare conabor quam sincere ac obsequiorè sim,

DILECTISSIME PATRUE,

Tuus devotissimus servus & nepos;

JOSEPHUS-FRANCISCUS

BOURDIER DE LAMOULIERE.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS.

*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis secundâ
mensis Januarii, anno Domini M. DCC. LXXXIII.*



M^o. PETRO PUJO, Doctore Medico, Præside.

An in venæ sectione re verâ sanguinis adsit dimotio ?

I.

JUS suum vindicet antiquitas, non indè minus constat omnes, quotquot sunt ; qui de sanguinis circuitu scripserunt, veteres, eos vana tantùm & inania somniasse. Si quis inficias ire velit, eorum evolvât opera, nec diù anceps permanebit. Nullum porrò ex eis offendemus qui de tam præstanti corporis functione veram habuisse idæam prædicari possit. Ipse, vel præstantissimus ætatis suæ Philosophus Plato ab illò errore vindicari nequit ; qui, etiamsi circulum quemdam vigere in corpore viventi, salomonis rotæ ad instar, asseruerit, quid ipse per hunc circulum intellexerit nobis adhuc disquirendum reliquit. Idem dicendum de

A 2

Aristotele ; qui , motionis perpetuæ continuationem & productionem supponendo , quibus sanguis continuò ad cor afflueret , cordis intumescentiam ipsiusque detumescentiam per sanguinis pulsus & impulsus explicare conatus est.

Neque prosperius res *Hippocrati* successit , qui modò arterias à corde , & venas ab hepate : modo utraque vasa à corde deducens , quemdam admittebat sanguinis fluxum & refluxum . Sed nedùm à corde ad omnes corporis partes hunc motu orbiculari fluere deprehenderit , nunc per vias longiores , nunc per breviores tantùm , putà ab utero ad mammas , fluere contendebat .

Nequè profectò felicior fuit *Herophilus* qui , vim à corde per arteriarum tunicas fluentem , ipsisque communicatam , motum procreari excogitavit . Et si diversam amplexi fuerint sententiam *Archigenes* & *Agathinus* , qui sanguinem per paremp-tosim , infusionem & transfusionem arterias permeare contenderunt , non indè verum propius attigisse videntur . Et verò , quamvis varii illi authores sanguinem intrà corpus non omninò stagnare suspicati fuerint , nullus tamen est inter eos qui veras naturæ vires , ad irrorandas sanguine singulas corporis partes , probè intellexisse gloriari possit .

Neque minùs caligaverunt *Galenus* ipsiusque sectatores , qui , mediante hematosi , humores omnes sanguini assimilari , & , iteratà deindè ejusdem sanguinis resolutione , ad diversas corporis partes nutriendas in succum alibilem converti credebant . Quàm gravi in errore versati fuerint illi autores , nunc liquet , ex quo , per plura experimenta , stupente quidem orbe medico , demonstravit *Harvæus* neque per fluxum & refluxum , neque per intumescentiam & detumescentiam moveri sanguinem , sed jugi motu circulatorio continuò fluere , à corde proficiscentem ad ipsius thalamos rediturum .

Sed , cùm maximi errores plerumque ad quasdam veritates conducant , exceptis modò memoratis authoribus , qui de fluenti sanguine quasdam idæas habuisse videntur , cùm ferè omnes alii ejusdem ætatis Medici stagnare intrà vasa sanguinem existimaverint , indè factum est ut in morborum decursu varias celebraverint venæ sectiones , quibus , pro diversis partibus , in quibus celebrabantur , diversas ipsis virtutes affingebant . Hinc , si præscribebant saphenæ sectionem , pro certo tenebant tunc sanguinem à partibus superioribus ad inferiora descendere , & , vice versâ , ab inferioribus ad superiora ascendere , ubi vel ex brachio , vel ex jugulari venæ sectio instituebatur . Quod quidem comprobari potest propriis *Galen*i scriptis , qui suam de sanguinis derivatione sic mentem aperit .

Non tantùm evacuationis sed revulsoris gratiâ venam incidimus : si quidem in utero revulsio erit , si cubiti venam secueris , aut cucurbitulas propè mammas affixeris ,

aut manus calefeceris & fricueris & deligaveris. Derivatio autem erit, si poplitis venas aut Malleorum incideris, ac si crura calefeceris, fricueris & ligamento exceperis.

Ex hac à veteribus decantata virtute, ad revellendum derivandumque sanguinem, sic in posterum eorum invaluit opinio ut nunc etiam non obsoleverit. Sed, cum post detectam sanguinis circulationem explicari non possint, more veterum, illa sanguinis revulsio ac derivatio; hinc Neoterici varia excogitaverunt systemata, quibus receptam opinionem probabilem possent reddere.

I I.

INTER eos, qui de illa intricatissima questione disseruerunt, recentiores medicos, potissimum floruit *Bellini*, qui, circulationis leges, tum rationibus, tum calculis, perpendendo, suam de sanguinis revulsione & derivatione in hunc propè modum sententiam profert. Quoties secatur inferior quædam vena, tum in arteriis ascendentibus non solum fluere debet minor sanguinis quantitas, sed etiam in vasa inferiora copiosius quàm in superiora sanguis propelli debet; siquidem in ipsis per venæ sectionem & sui ipsius missionem sanguis minorem patitur resistantiam, adeoque, cum minores sint obices in aortæ descendens ramis, si secta fuerit saphena, ad illas sanguis ferri debet majori quantitate, ex eo quod ipsi apertura venæ, sanguinisque effluxus & antecedentes illius moleculæ nullam aut saltem minimam offerunt resistantiam, dum ipse aliundè, moleculis à tergo urgentibus continuo premitur.

Huic sententiæ ferè adhæsit *Dominus Silva*, qui, æquè ac *Bellini*, minorem resistantiam supponendo in parte in quâ celebratur venæ sectio, sic mathematicè ratiocinatur. Si quatuor sanguinis partes à corde ad superiora propellantur, totidemque partes ad inferiora tendant, & si ex illis quatuor partibus ad inferiora propulsis una pars venæ sectione distrahatur, tunc, imminutâ resistantiâ, necesse est ut alia pars ex quatuor ad superiora tendentibus descendat: idèquè tres tantum sanguinis partes in superioribus debent suppetere, dum quatuor partes in inferioribus remanebunt.

Ut ut sit de hisce systematibus, hæc nullo modo placuisse videntur Domino *Quesnay*, qui, licet quandam aliquandò in venæ sectione fieri derivationem non prorsus diffiteatur, hanc tamen solum modo concedit, quoties nulla sit ligatura; Hoc enim argumenti genus usurpat.

Si non ligantur partes in quibus celebratur venæ sectio, tunc imminuitur resistantia quæ appellentis sanguinis cursum impedire posset, undè exoriri debet

in iisdem partibus major affluentis sanguinis acceleratio. Cum autem sanguinis evacuationem esse in ratione minoris resistentiæ existimet, hinc contendit tantum advenire sanguinis, quantum effluit; ideòque aliquam fieri derivationem existimat, sed quæ nullum prorsus effectum habet, nisi hunc, qui ab evacuatione enasci potest, aut à spoliatione, id est, à majori rubrarum sanguinis molecularum detractione, quàm aliarum partium quæ ipsius compositionem ingrediuntur. Ligaturam autem supponendo, dissimilem prorsus sententiam amplectitur: tunc enim asserit solum modò existere ex una parte derivationem directam in vasis venæ incisæ correspondentibus, sed ex alterâ parte, pro ligaturæ constrictione, vicinarum venarum fieri ingurgitationem; undè concludit, factâ derivatione in unâ parte & ingurgitatione in alterâ, omnes tolli sensibiles sive derivationis, sive revulsione, effectus.

Variis horum scriptorum, ut potè longioribus, argumentis non immorabimur. Sat enim ex dictis constat non multum eorum dissertationes ad questionem elucidandam profecisse; quod ex subsequentibus facillimè patebit. Quem enim fugiat longè ampliorem sanguini transitum suppeditari per venæ cavitatem ipsiusque diametrum quàm per lanceolæ aperturam, ex quâ vix sanguis egredieretur, si non ipsi deligatione naturalis ocluderetur transitus? Quis aliundè nescit ligaturâ coarctari venas, præsertim eas quæ ad superficiem repunt; hinc tot fieri impedimenta quot venæ constringuntur? Nulla fit igitur nec minor resistentia, nec acceleratio. Is profectò sese ipsum in errorem induceret, qui majorem arbitraretur per venas quaslibet apertas exire sanguinis massam quàm quæ ad cor suppeditaretur venulis in quibus invitus retinetur. Quod, si velocius tunc per incisam venam egredi sanguis videatur, ratio per se patet. Illud fit etenim ex eo quòd, cunctis ferè compressis venis, unicus tantummodò ipsi superstit exitus, incisionis scilicet apertura, per quam transeundo ita premitur ut, juxta hydraulicas leges, necessariò quasi cum impetu proflire debeat.

His potissimum rationibus innixus celeberrimus *Senac*, nullam jure ac meritò in quâcumque venæ sectione fieri sanguinis accelerationem demonstrat: nulloque modo imminui resistentiam probat; &, sic ratiocinando, ita progreditur, ut omnem derivationis speciem spontè rejicere non dubitet, hoc solummodò pro certo tenens quod, si felici cum successu variæ pro variis partibus læsis celebrentur sanguinis missiones, illud ab unicâ tantum causâ pendere, à verâ scilicet sanguinis spoliatione, quâ relaxantur fibræ & imminuitur partium tonus.

Alter, non inferioris notæ, Medicus, clarissimus *Haller* de eadem sollicitus questione, ad quamdam occultæ contractionis speciem vim derivationis tribuere non reformidavit, quod ipsius propriis sequentibus verbis videre est.

5

De incisâ arteriâ proinde quidem de sectâ venâ, sanguis maximâ velocitate effluit, eo modo ut de vicinis truncis ramisque & secundum circuitûs leges & contrâ easdem in vulnus ruat: inde verò fit ut debilitate aliquarum arteriarum resistentiâ ed sanguis congeratur; inde à pediluvio menses, inde capitis ab eâdem causâ levamen, substractò quo onerabatur sanguine, non idè oportet diffiteri postquàm vena deligata fuerit hancce efficaciam cessare & derivationem denique paritèr atque revulsionem non oportere ad nimis distantia vasa extendi, quæ utique parùm ab eâdem causâ patiuntur. Ex tot præstantissimorum Medicorum dictis cum nulla erui possit opinio certa, felices nos, si in hâc enodandâ questione, sedulò circulationis leges perpendendo, propitius ad veritatem accedamus.

I I I.

VARIÆ sunt ac multiplices, quæ à naturâ fuerunt institutæ, leges, quibus continua sanguinis intrâ corpus stabiliretur circulatio. Primò quidem ad arterias & ipsarum extremitates vi quâdam præpotente propellatur sanguis necesse est. Secundò, venarum extremitates subeat humor ille coccineus oportet, quoties arteriosum systema deserit. Ut autem per immensa venarum capillamenta ad cor remeare valeat, insufficientes sanè sunt tum cordis tum arteriarum protusivæ vires, si calculis à Domino *Perrault* institutis fides adhibenda sit. Tanta est enim partium, per quas progreditur sanguis, resistèntia, ut à cordis & arteriarum contractionibus nullomodo superari queat. Hinc sequitur nullum sanguini motum dari circulatorium, nisi peculiari quâdam virium cordis & arteriarum adjutrice potentiâ sustentetur. Quin à naturali motu tonico, quo diversa pollent corporis organa, pendeat illa potentia quis possit dubitare, modò secum perpendat continuâ illius actione continuò premi sanguinem & ulterius progredi? Hanc veritatem comprobant omnia economiæ animalis phenomena. Ubi enim languescit motus ille, quasi extravasantur humores, qui tunc vix effluere possunt; quod in ægrotantibus observari potest, qui morbi diuturnitate debilitati, leucophlegmatiâ laborant, & in quibus ab extremitatibus ad orbem circulatorium vix sanguis revocari potest, dum è contrâ naturales vias citò relegit, quoties restituitur, deperditus ille tonus. Hæc aliundè probatur veritas, tum variis animi pathematibus, in quibus, si adaugeatur motus tonicus, ut in pudore fieri solet, sanguis ad vultum majori quantitate deferitur, quàm in statu naturali, vel in quibus ita aliquandò sanguis à circonferentiâ ad centrum propellitur, ut pallescant externæ partes & quasi exangues videantur, dum, fervido sanguine interiora replentur ac turgescunt vasa. Si hæc non sufficiunt argumenta ad comprobandum quanta sit actio & potestas motûs tonici in sanguinis circui-

tum, diversas causas undè suam originem ducunt inflammationes, intueamur : graviter errant qui inflammationem ex sanguinis ingurgitatione in vasis capillaribus exoriri putant. Hæc enim ingurgitatio ab ipsâ inflammatione non differt : ac proindè aliquam, quâ producat, causam debet agnoscere. Neque alia est illa causa quàm illata partibus irritatio, quâ, adaucto motu tonico, ad partes illas uberior propellitur sanguis quàm in statu naturali. Pluribus aliis argumentis probari potest hæc assertio. Ne verò à proposito discedamus, paucis rem absolvemus. Motus tonicus, licet de eo, evolvendæ circulationis causâ, parùm hætenus solliciti fuerint Medici, non tantùm magnoperè confert ad promovendum sanguinis circuitum, sed etiam absolutè necessarius est ad peragendas omnes corporis functiones, ne dicam humorum secretiones & ipsasmet methastases, quibus, in pluribus morbis non daretur locus, nisi ipsius accederet adjumentum. Quanta- eumque autem sit hujus motûs tonici potentia, ut sanguis intra corpus circuletur, parùm tamen valeret, nisi, dùm sanguis ab ipso propellitur, non aliundè venarum succione appellaretur : & verò venæ nequaquam pulsare videntur, sed, ut vi contractili atque protusivâ pollent arteriæ, sic venas verâ virtute attractivâ donari eo lubentius affirmaverim, quod auriculæ cordis, quarum ipsæ sunt propagines, aut dilatari aut constringi non possunt quin anthliarum modò propellentium, modò attrahentium vices gerant. Nemo etenim nescit nullam ampliari posse ac dilatari vesiculam, quin attrahat, eadem ratione quâ constringi non potest, quin fluidum in eâ contentum foràs propellat ; undè hæc juvat colligere, sanguinis circuitum, juxta institutas hætenus leges nullo modo fieri posse, si, quas jam nunc fidenter proposuimus, vires, non admitterentur : & reipsâ, quemadmodum contrahi non possunt illæ auriculæ quin contentum sanguinem ulterius propellant, sic concipi non potest illas posse dilatari, quin quemdam succionis speciem ex venis constituent. Idem dicendum de cordis ventriculis qui propriâ vi ita contrahuntur, ut nullo modo, adveniente sanguine, dilatari possent, si viribus propriis non dilatarentur.

I V.

QUO dilucidè intelligantur variæ quæ in circuitu, dùm fit sanguinis emissio, intercidunt mutationes, revocare secum oportet ex arteriarum extremitatibus in venas transire sanguinem, tùm vi cordis & arteriarum, undè ipsamet pendet potissimum circulatio, tùm venarum succione, ipsarumque motu tonico & cordis aspiratione ; quibus omnibus aëris pressionem musculorumque actionem addideris ; quoties vehementius agent causæ, toties liberior fiet circulatio, &

vice versâ , quoties harumce causarum vis imminuetur , minor quoque fiet circûlatio. Nulla tamen causâ attentius consideranda est , quàm quæ cordis & arteriarum vi & venarum motu tonico , ipsarumque succione enascitur. Hoc semel admissio , videamus an ad aperturam accelerari debeat sanguis , ubi etiâ sine ligaturâ fit sanguinis emissio. Huic autem opinioni nulla favet ratio. Vix enim per venæ incisionem exire potest sanguis , quândo nulla admovetur ligatura ; ad hoc aliundè necesse esset cordis & arteriarum vim posse per hanc incisionem adaugeri. Quod à vero prorsus abhorret , non enim sanguis æquè ac uniformitèr è venâ egreditur , si quidem arteriarum vis decrescit prout evacuatur sanguis. Quæ res ut planiores fiant , de ligaturæ affectibus nunc dicendum est. (a) In venæ sectione pars vulgò ligaturâ circumdatur , ut intumescens vas facilius pungatur & velocius sanguis profilire possit : sed non solum vena incisa comprimitur , sed etiam omnes illæ venæ quæ ad superficiem repentes ligaturæ actioni subjacent. Undè sequitur sanguinis cursum , qui per ipsarum diametrum prius fluebat , propè intercepti , adeoque ab ipso sanguini affluenti majorem opponi resistantiam , quæ , si diù perstaret ad cor usque extenderetur : undè exoritur ingurgitatio eò major , quò plura vasa validius constringuntur. Non enim , quod insulsum propè foret , credendum sanguinis quantitatem per incisionem exeuntis parem esse ipsius quantitati , qui vasa , si non ligaturâ constringerentur , permearet , undè fas est concludere è sanguine ex arteriis continuo affluente infra ligaturam congestionem effici.

Præterea , si quod supra ligaturam contingit animadvertamus , facillimè deprehendemus non posse fieri quin pariter intersit congestio , cùm sanguis , ut superius annotavimus , suum tantum pro cordis & arteriarum vi , pro continuo affluxu sanguinis , à tergo urgentis & succione venarum tum aspiratione cordis absolvat circuitum. Si ergò , qui supra ligaturam delatus est sanguis , partim cordis vi cujus impulsu in singulas extremitates ipse propellitur , partim vi sanguinis qui à tergo propellere debet , etiam venarum succione defraudetur ; necesse est ut ad cor transmitti nequeat , & in vasis permanere cogatur , adeoque , inertiae suæ causâ , majorem præstet obicem vasis lateralibus quæ ad hanc partem appellant. Hinc contingere debet ingurgitatio eò major quò diutius & strictius ligatura instituta fuerit. Aliundè cava , venæ incisæ focia , vi impulsivâ , de quâ modò egimus , orbata , minorem quàm prius ad cor sanguinis quantitatem deferet , indeque venæ cavæ correspondenti minùs opponet resistantiæ , quæ idcirco in auriculam dextram facilius pro-

(a) Vide Recherches sur la Saignée par M. David.

pellet sanguinem, in ventriculis servatâ proportionem effundendum. Unde in omnibus quibuscumque partibus, in quibus sese ipsa dispergitur cava, liberior aderit circuitus. Cum autem aliunde comprobatum fuerit, supra & infra ligaturam, independentem ab evacuatione, fieri congestionem; hinc sequitur liberiores fieri proventus sanguinis ab unâ cavâ & longè minorem ab alterâ. Unde & palam fit expeditiorem fieri sanguinis circuitum in parte venæ incisæ oppositâ quàm in alterâ; inde etiam inferri potest veram fieri, ne dicam derivationem, sed dimotionem quæ eosdem ac derivatio sortitur effectus: simulatque verò solvitur ligatura, tunc sensim decrescit ingurgitatio, prout ad diametrum priorem restituuntur vasa: hinc utrinque par circulatio. Quod etiam ad probandum concurrunt pediluvia, quibus sæpissimè, æquè ac saphenæ sectionibus catamenia promovenitur. Aquæ enim tepidæ actione ita relaxantur partes, & imminuitur motus tonicus atque ampliatur vasorum diameter, ut sanguis majori copiâ congeratur eodem modo ac si ligatura adestet, & ita tunc ingurgitantur vasa, ut ejusdem congestionis fiat particeps uterus, ac proinde fluant menses. Sed, cum per angustias, quibus questionem nostram contrahere tenemur, variarum sanguinis missionum effectus peculiariter explorare nobis non liceat, illud unusquisque secum reputet quidquid de sanguinis emissionem generatim prolatum est, ad singulas revocari posse.

V.

FOR SAN hic dicet aliquis: Sanguis, secundum illud adagium, ad vasa à quibus resistentiæ minùs patitur, semper defertur. Constat autem sanguinem à corde non æquè ad extremitates propelli posse. Si enim in unâ parte fiat congestio, & in alterâ expeditior evadat circulatio, distribuatur necesse est prout majorem minoremve offendit resistentiam. Quod contrà redarguere facillimum. Resistentia enim gradatim tantum ad cor transmitti potest ex quo uno pendent sanguinis quantitas & celeritas, qui, ad unamquamque contractionem omnes partes occupaturus est, quæ quidem resistentia tunc solummodò cordi communicatur, cum diutius partes ipsæ ligaturâ constringuntur: quod cuilibet animadvertere licet, ubi ipsius organi pulsationes frequentius occurrunt. Hanc veritatem pariter adstruunt inflammationes, quibus patet resistentiam propagari duntaxat prout plùs minùsve adest impedimentorum. Ubi enim vehemens vastaque in quâlibet parte occurrit inflammatio, ad cor, ipsius obex extenditur quo cordis augetur contractio, unde febris. Si minori contrà pars inflammatione urgetur, vicinæ tantum partes resistentiâ appetuntur, quod probat proximæ arteriæ pulsatio, quæ quidem augeri videtur, si pars ea vinculo coarctatur. Quod si nobis obji-

ciatur, quibusdam in cerebri affectionibus magno cum successu sanguinis è jugulari missionem usurpari, eam tamen, si admitteretur systēma, rejiciendam fore, si quidem, eo admisso, intercidat necesse est admodum metuenda ingurgitatio.

Non diffitebimur quidem fieri re verā ingurgitationem, periculosam sanè, nī prius per saphenæ missionem cerebrum exoneratum fuerit. Non idē minùs constat, eam quā maximè conducere quod ad cerebri affectiones in quibus tono & contractili vi quæ sanguinem possit expellere varicosæ destituuntur venæ, in quibus congestus sanguis & quasi ad dissolutionem vergens per jugulares forās amandatur non jam totus in orbem rediturus, si quidem tunc cor inter & partem læsam, quod nequaquam in cæteris sectionibus fit, instituitur venæ incisio. Ex iis patet cur in hemoroidibus hirudines, cur quædam hemorhagiæ aliquandò conducant. Neque majoris est momenti quidquid obijci potest de quibusdam venæ sectionibus quæ, licet in parte læsâ institutæ, felices exitus habuerè; non negabimus quidem illas plerumque ad sanitatem contulisse, id autem simul asseremus eos referendos esse successus nec ad derivationem revulsionemque nec etiam ad dimotionem, sed tantum modò ad evacuationem quæ in plethorâ potissimum conferre videtur; undè rei veritate innixus nostram amplectimur conclusionem:

Ergò in venæ sectione reipsâ sanguinis adest dimotio.

*M. Renatus LOUICHE DES-
FONTAINES.*

*M. Antonius-Josephus-Victor
LENDORMI-LAUCOURT.*

*M. Joannes-Antonius ELIE DE
LA POTERIE, antiquis Regis
in portu Bretensis Medicus, nec
non Militarium Regni Nosocomiorum Inspector.*

*M. Nicolaus-Franciscus LA-
VERNE.
M. Petrus PUJO.*

*M. Joannes-Nicolaus CORVI-
SART-DESMARETS.
M. Jacobus DE WENZEL,
Sancti-Imperii Baro.*

*M. Ludovicus-Miria POUSSE,
Eques & Censor Regius.
M. Guillelmus-Josephus DE
LÉPINE, antiquior Scholæ
Magister, antiquus Facultatis
Decanus, in Gremium Facul-
tatis exceptus anno 1724.*

Proponebat Parisiis JOSEPHUS-FRANCISCUS BOURDIER DE LAMOULIERE,
Bellicinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,
Theseos Author. A. R. S. H. 1781.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1781.